



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Caput II. De Priviligiorum usu, interpretatione, extensione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

## CAPUT II.

De Privilegiorum Usu, Interpretatione,  
Extensione.

*Quaest. 441. Num possit privilegiatus uti suo privilegio in quolibet loco, etiam extra territorium concedentis?*

**R**esp. Certum est primò, & in eo conveniunt AA, quod sicut privilegii concessi absolute & absque ulla limitatione usus licitus est pro omni territorio & loco concedentis, cum tunc non sit major ratio pro uno loco, quam pro alio, & ne aliàs, si privilegium non intelligendum pro omni loco, tanquam ambiguum & incertum foret inutile, & si voluisset privilegiatus pro aliquo loco sibi subiecto illicitum esse, id declarasse debuisset, cum aliàs prudenter praesumatur, illum voluisse pro omni loco licitum esse. Arg. Reg. Juris. 55. in 6. & ita expressè Suar. L. 8. de LL. c. 26. n. 1. Castrop. tr. 3. d. 4. p. 6. n. 1. Bonac. d. 1. q. 5. n. 1. Wiestn. h. t. n. 27. Ita e contra certum est, usum privilegii concessi limitatè & determinatè pro certo tantum loco, invalidum & illicitum esse pro alio loco, cum valor & licitus usus illius omnino dependeat ab intentione concedentis; ita Castrop. l. c. n. 2. & ceteri AA. cit. Hæc verò limitatio vel constat expressè ex verbis, & si hæc sint dubia & indifferentia, colligenda est ex fine & materia concessionis juxta tenorem litterarum privilegii.

2. Resp. Secundò: Certum quoque est, usum privilegii extra territorium concedentis ad actum specialiter ibidem prohibitum, v. g. comestitionis carnis etiam licitum esse pro territorio alieno, in quo is jure communi licitus est, cum quis etiam legibus & statutis propriae patriæ extra hanc existens non astringatur, juxta c. fin. de Constit. in 6. etiam secluso privilegio uti possit, ita e contra in alieno territorio, ubi talis actus legibus communibus, aut statutis specialibus, vel mandatis prohibitus est, usus privilegii non est licitus in sententia eorum, qui docent, exterum transeuntem ista loca ligari eorum Constitutionibus, eò, quòd concedens privilegium non habeat potestatem remittendi obligationem impositam transeuntibus talia loca per Superiorem illorum, cum non sit Superior illius, prout docent Suar. l. c. à n. 7. Salaf. d. 17. f. 10. n. 54. Bonac. l. c. q. 3. p. 6. n. 4. quos citat ac sequitur Castrop. l. c. n. 6. Secus est in sententia docentium, non minus probabiliter transeuntes illa loca per se non ligati illorum legibus specialibus, nisi quandoque per accidens ob vitandum scandalum, perturbationem Reipublicæ, aliàque incommoda, & tunc etiam in hac sententia per accidens uti non poterunt privilegio suo. Nihilominus tamen Castrop. l. c. cum Salaf. l. c. n. 56. Bonac. l. c. q. 3. p. 7. n. 7. Suar. l. c. censet ex benigna interpretatione voluntatis Superioris loci, quòd quis transit, illum praesumere posse, se obligatum non esse ejus legibus, à quibus in territorio proprio exemptus est, & specialiter non sunt illius loci propriae.

3. Resp. Tertio: Si usus privilegii non sit contra constitutionem alieni territorii, quòd quis transit, sed adversetur legi, tam in proprio, quam alieno territorio obliganti, v. g. comestio carniarum in

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

quadragesima privilegiatum uti posse liberè privilegio in utroque loco, quia obligatio illius legis in utroque loco est eadem, adeòque, si vi privilegii exemptus quis est ab ea in uno loco, etiam exemptus in altero, probabilius censent Suar. cit. c. 26. à num. 15. confirmans id praxi. Salaf. cit. f. 10. Bonac. l. c. p. 6. n. 4. Sanch. de mat. L. 8. d. 31. n. 17. Azor. L. 5. c. 23. q. 6. Castrop. l. c. vers. si autem. Pith. h. t. n. 182. Wiestn. n. 30. quæ in contrarium reddentia sententiam oppositam, ut inquit Castrop. satis quoque probabilem, sunt fere sequentia. Primò: quòd, si prohibita jure communi utriusque loci prohiberentur speciali constitutione vel mandato superioris loci istius alieni, privilegium habitum à superiore loci proprii non liberaret privilegium ab obligatione contracta per specialem prohibitionem superioris alterius loci, adeòque nec liberaret ab obligatione, quando solum jure communi utriusque loci sunt prohibita, quia specialis prohibitio non addit specialem obligationem, cum aliàs gravius peccaret is, cui idem à diversis Superioribus prohibetur, ad quòd tamen responderetur, prohibitionem quidem factam per statutum speciale non superaddere obligationem specialem diversam, quòd ad eos, qui communi lege ligantur, quia jam omnem obligationem, quæ eis induci potest, habent à lege communi, iis tamen, qui exempti sunt à lege communi, quòd minus per specialem illam prohibitionem inducatur obligatio, nihil est, quòd impedire possit. Secundò: quòd Superior loci alieni potest prohibere tibi usum privilegii, quòd habet à proprio Superiore, cum residens etiam transeuntem in ejus territorio mandatis illius obedire tenearis, & vel sic privilegio tuo integrè non deobligaris ab observatione & obligatione præcepti communis. Verùm talis potestas negatur superiori loci alieni, nisi is specialem & honestam causam habeat, quemadmodum prohibendo impedire potest usum dicti privilegii, dum privilegiatus arguitur de eo obtento per subreptionem, quousque se purget manifestando privilegium, ad quem manifestationem eum obligare potest, ut Suar. cit. c. 26. n. 17. Tertio: quòd transeuntem aliena loca per habitudinem etiam transeuntem fiat pars illorum locorum, adeòque tenetur observare statuta & leges illorum, ne pars à toto discordet. Verùm, etsi id verum, quia tamen ab obligatione legis communis habet privilegium exemptionis, lege communi non tenetur.

4. Resp. Denique, si privilegium concessum ad actum secundum se quidem nulli juri repugnantem, ad licitum tamen & honestum sui exercitium Principis, Episcopi, Parochi facultatem exigentem, ut est actus concionandi, missas dicendi, confessiones excipiendi, sine illorum licentia hoc ipso exerceri nequit extra concedentis territorium, eò, quòd concedentis jurisdictio extra suum, ac proinde ad alterius territorium non extendatur. Wiestn. h. t. n. 2. juxta c. fin. de Constit. in 6.

*Quaest. 442. Utrum quis uti teneatur suo privilegio?*

**R**esp. Juxta communem, neminem teneri suo privilegio sibi specialiter concessio uti. c. si de terra.

H h

terra. h. t. cum, quod in favorem alicujus concessum est, retorqueri non debeat, contra illum, juxta Reg. 61. de Reg. Jur. in 6. Neque huic responsioni obstat, quod Clericus uti debeat Privilegio fori & Canonis, si casus occurrerit, quia coactus uti Privilegio concessio statui clericali in genere, quem à se abdicare non potest, non cogitur uti privilegio sibi specialiter concessio. Ita Castrop. l. c. p. 7. n. 1. sed neque cogitur quis uti privilegio suo in casu, quo actus prohibitus, ideòque illicitus, per privilegium redditur licitus, uti hoc exemplo probare nititur Bonac. d. 1. q. 2. p. 4. dum prohibito tempore interdicti audire missam per privilegium speciale conceditur, non obstante illo interdicto, illam audire, hoc ipso jam utpote ad hoc obligatus præcepto Ecclesiæ, tenetur uti suo privilegio & audire missam; nam obligatio audiendi missam in hoc casu non oritur ex privilegio, sed ex præcepto Ecclesiæ, quod sublato interdicto per privilegium pergit urgere privilegiatum, ita Castrop. l. c. num. 2. secutus Suar. L. 8. de LL. c. 23. num. 9. circa finem.

*Quest. 443. Utrum Privilegiatus uti possit suo Privilegio adversus pariter Privilegiatum?*

1. Resp. Primò: Dum duo sunt privilegiati quò ad rem eandem, v. g. quò ad non solvendas decimas, uterque non obstante alterius privilegio uti potest suo privilegio, seu neuter derogare potest alterius privilegio derogando illi, vel illud quò ad usum impediendo, cum aliàs implicaret, duobus concedi idem privilegium exemptionis, ut patet, ita Covar. in Reg. Possessor. 2. p. §. 2. num. 4. Suar. l. c. num. 3. Castrop. l. c. p. 8. num. 1.

2. Resp. Secundò: Dum duo sunt privilegiati in re diversa & opposita, v. g. unus quoad exigendas omnes decimas totius Parochiæ, alter totaliter exemptus à solvendis decimis ejusdem Parochiæ, & non appareat, qualiter illi duo privilegiati, eorumque privilegia contraria reduci possint in concordiam, ut utrumque valeat, videndum, quodnam illorum sit antiquius, vel concessum ab altiore Prælato, illudque prævalebit, & alterum cessabit. Neque enim censendus est Princeps posterior concedens privilegium velle per illud præjudicare privilegio alterius opposito antiquiori, nisi illius expressè meminerit. Neque etiam Prælati inferior præjudicare potest privilegio concessio à Prælato Superiore. Suar. l. c. num. 5. & 6. Castrop. l. c. num. 2. Quòd si tamen Privilegium unius sit generale & alterius speciale, speciale prævalet; quia per speciem derogatur generi, per Reg. 34. de Reg. Juris. & sic habens privilegium generale, eo uti nequit contra habentem speciale in eadem materia, v. g. generaliter privilegiatus ad exigendum à quovis decimas contra specialiter exemptum à solvendis decimis, quia in generali lege solvendi decimas non comprehenduntur specialiter exempti ab iis. Rodriq. 99. Regul. Tom. I. q. 9. a. 11. Salas d. 17. S. 14. num. 74. Castrop. l. c.

*Quest. 444. Privilegium qualiter interpretandum?*

1. Resp. Primò: Dum verba Privilegii intentionem concedentis clarè & sufficienter expriment, opus non est interpretatione, quia hæc requiruntur ad deprehendendam voluntatem concedentis, dum verò de mente illius ex manifestis conjecturis constat aliud, quàm quòd verba sonant, interpretandum potiùs mentis quàm verbis illius, juxta

c. in his. de V. S. & c. Martinus. 1. q. 1. c. sedulo. dist. 38. Azor. L. 5. c. 23. q. 2. Sylv. v. Privilegium. 9. 3. Salas. d. 17. S. 8. num. 45. & d. 10. S. 10. num. 9. §. quarto. Dum verba sunt indifferencia, obscura, incerta, attendenda est supplicatio, cum Princeps soleat se accommodare precibus sibi factis. L. si preces. ff. de LL. c. inter dilectos. §. caeteri. de fide instrum. Gutt. pract. 99. L. 3. q. 17. & 18. num. 42. & 43. Salas. d. 7. S. 9. Bonac. d. 1. q. 3. p. 71. num. 3. Suar. l. c. n. 28. n. 19. Castrop. l. c. p. 9. num. 1. Item attendendum initium indulti, cum juxta illud reliqua soleant adjungi. L. fin. de hered. institut. item materia subiecta, ac denique privilegium aliud simile. Et, si hi attentis, adhuc intentio conducentis manet dubia, consuli debet concedens, nisi periculum sit in mora, quo casu interpretatio facienda, juxta quòd prudenter pro loco & tempore vitum fuerit, Castrop. l. c. p. 4.

2. Resp. Secundò: In Privilegii interpretatione servanda est Verborum proprietates, ne aliàs in Privilegiis nihil sit firmum, Salas. d. 7. S. 8. num. 47. & 49. Suar. l. c. num. 15. & 16. Sanch. de dispens. L. 8. d. 1. n. Castrop. l. c. n. 3. Hæc autem proprietates verborum spectanda est juxta usum & stylum concedentis, ut, si Privilegium sit regium, attendendus sit stylus Regis, seu Cancellariæ Regiæ, si Pontificium, Stylus Pontificius. Bald. in L. si quando. C. de bon. vacant. Sylv. Azor. Castrop. LL. cit. Salas l. c. n. 49. Suar. l. c. n. 16. qui variis exemplis id ipsum declarant, v. g. si privilegium concedatur Episcopo pro suis familiaribus, uti fit in Trident. intelligendum de familiaribus actu familiaribus, & non de iis, qui per litteras ad famulatum recepti sunt, Castrop. l. c. juxta c. ult. de V. S. in 6.

3. Resp. Tertio: Nunquam ita strictè facienda est interpretatio privilegii, ut sit inutile. L. non dubium. C. de ell. cum non deceat Principem inutilem & frustraneam actionem facere, Castrop. l. c. n. 4. Unde etiam cum privilegium tendat ad concedendum Privilegiato aliquid, quòd aliàs ei non licebat, semper ita est facienda illius interpretatio, ut, quantum fieri potest, hunc effectum consequatur. Salas. de LL. d. 17. S. 8. n. 46. Suar. de LL. c. 28. num. 2. Castrop. l. c. Idque etiam observandum in odiosis, ut Privilegium seu dispensatio ita extendenda sit ad ea, quæ ei ita connexa sunt, ut sine iis effectum habere non possit, Suar. l. c. L. 6. c. 11. num. 10. Sanch. de mat. L. 8. d. 1. num. 9. Bonac. d. 1. q. 3. p. 7. quos citat & sequitur Castrop. l. c. Sic dispensatus ad plura beneficia, dispensatus eo ipso est in residentia utriusque; dispensatus, ut in minore ætate beneficium parochiale habeat, dispensatus quoque est in obligatione assumendi intra annum Sacerdotium.

4. Resp. Quarto: Privilegium in nullius præjudicium cedens latè est interpretandum. c. olim. de V. S. quia est purè beneficium Principis, quòd admittit latam interpretationem. L. beneficium. ff. de Constit. Princip. quia juxta Reg. Juris favores semper sunt ampliandi, & L. hoc modo. ff. de condit. & demonstr. non obstante, quòd concedens privetur per hoc facultate illud idem concedendi alteri, quia is proprià voluntate se privat illà facultate, exercendo suam liberalitatem, sed neque per hoc nocet alijs, sed potiùs prodest, dum hi per hoc incitantur ad simile privilegium promerendum, ita Suar. l. c. c. 27. num. 3. Salas. cit. d. 17. S. 6. n. 44.

5. Resp. Quintò: Privilegium derogans juri communi regulariter est strictè interpretandum. c. sanè. & c. porrò. h. t. tum, qua parte derogat juri

Juri communi, includit dispensationem, quæ strictè est interpretanda, bonumque commune præferendum bono particulari, idèoque in dubio interpretatio facienda pro jure communi, & quò ad minimum lædit jus commune. ita Abb. in C. quod dilecto. & de consanguinit. & affinit. c. circa. h. v. Sanch. l. c. num. 1. & 5. Suar. l. c. num. 5. Salas. l. c. Castrop. l. c. num. 2. sic privilegium concessum illegitimo ad Ordines suscipiendos, interpretandum est de Ordinibus minoribus. Extendendaque hæc ad privilegium derogans statuto vel consuetudini singulari, ut & illud strictè interpretandum, cum tale statutum & consuetudo sit instar juris communis, modò statutum, & consuetudo non contrarietur juri communi. Suar. l. c. num. 16. Bonac. l. c. num. 8. Castrop. l. c. num. 4. contra Salas. S. 8. num. 5. 2. Azor. l. c. c. 23. q. 2. sic dispensat Sylv. v. Privilegium, q. 9. Bart. in L. 2. ff. de jure communit. tunc enim eo ipso derogat juri communi. Item nisi Privilegium cedat in favorem Religionis vel piæ causæ, cum summum jus faciat pro religione. L. sunt persone. ff. de Religione. & Sumpribus funer. Tiraq. tr. de pia caus. num. 160. Castrop. n. 5. Tale est Privilegium concessum Militibus, Religiosis; quia expedit maximè reipublicæ, Religioni & bono communi, favere hujusmodi personis, & per hoc tollitur vulneratio juris communis. Bonac. d. 2. q. 3. p. 9. §. 1. num. 5. Sanch. de mat. L. 8. d. 1. num. 33. Roderiq. Tom. 1. q. 97. Reg. q. 11. a. 6. Item latè interpretandum, si insertum juri communi, quia tunc privilegium non est absolutè contra jus commune, cum jus commune constituat. Suar. l. c. c. 27. num. 8. Sanch. l. c. num. 7. Castrop. l. c. num. 7. Unde omnia Privilegia in perpetuum concessa Religionibus latè explicanda, non tantum quia favent Religioni, sed etiam quia ob perpetuitatem reputantur quasi inserta corpori juris. Sanch. l. c. num. 13. Bonac. l. c. p. 7. §. 1. num. 6. & 7. Henriq. L. 7. de indulg. c. 22. num. 3. Item Privilegium concessum motu proprio vel ex certa scientia. c. si motu proprio. de præbend. in 6. quia tali modo concessum, cum sit proprium beneficium Principis, decet ejus honorem & liberalitatem lata interpretatio. Sanch. l. c. num. 5. & 6. Suar. l. c. num. 8. Salas. d. 20. S. 10. num. 90. Castrop. num. 7. Porro ad derogandum juri communi per Privilegium non requiri clausulam expressam derogatoriam juris communis; cum Princeps præsumatur scire jus commune. c. 1. de constit. in 6. adèoque dans Privilegium derogativum illi, censetur velle ei derogare, cum aliàs præsumeretur nihil velle concedere, probabilius contra alios censet Castrop. l. c. num. 9. modò tamen, ut addit. num. 10. jus commune non resistat tali privilegio, derogando seu revocando illud.

6. Resp. Sextò: Privilegium derogans juri alterius est restringendum, quantum patitur proprietatis verborum, quia Princeps non præsumitur velle derogare huic juri, nisi id expresserit, Arg. L. 2. §. 1. ff. ne quid in loco publ. L. nec avus. C. de emancip. lib. c. licet in corrigendo. de Off. Ordinar. Abb. inc. 1. de Judic. Sanch. l. c. d. 7. num. 6. Suar. num. 9. & c. 28. num. 10. Salas. l. c. S. 8. ad finem. Castrop. l. c. num. 8. qui huc reducit Privilegium concessum ad lites propter occasionem litigandi & vexandi alios, & minuendi inferiorum Judicum potestatem. Ut verò tale Privilegium vim habeat derogandi juri alterius vel statuto aut consuetudini speciali, requiritur clausula derogatoria istius juris, statuti & consuetudinis, etiam

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. V.

concessum motu proprio, quia, ut dictum, Princeps nunquam præsumitur velle derogare istiusmodi juribus specialibus, nisi id expresserit. Suar. l. c. c. 28. num. 8. num. 10. Sá v. gratia, n. 14.

Quæst. 445. An Privilegium favorabile extendatur ad alios, quam qui in eo expressi sunt?

Resp. Negativè: Cum enim tota efficacia privilegii pendeat à concedentis intentione significata, eaque significetur verbis, ultra verborum expressionem fieri nequit extensio. Castrop. tr. 3. d. 4. p. 12. num. 1. variis exemplis id ipsum declarans. Sic Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine masculino, comprehendit Religiosas ejusdem Ordinis, in his, quorum eæ capaces sunt, quia Verbo: Religiosi, satis eæ exprimuntur. ita Suar. de LL. L. 8. c. 10. num. 7. Bonac. d. 1. q. 3. p. 7. §. 1. num. 2. Roderiq. Tom. 1. Regul. q. 13. a. 22. si autem in privilegio dicatur: Viri Religiosi, fœminæ excluduntur, ut Suar. Bonac. Castrop. LL. jam citatis. Sic privilegium concessum filiis comprehendit filias. Matienzo L. 5. Recopil. tit. 7. L. 11. à num. 5. juxta L. justa. L. filius. si tamen privilegium dicat: Filiis masculis, excluduntur filia, Rebuff. in L. 1. de F. S. v. masculos. Suar. Bonac. LL. cit. contra Sá v. gratia. num. 11. ubi dicit: Nomine marium comprehenduntur fœminæ; & v. interpretatio. num. 3. ubi, quòd in favorabilibus masculinum comprehendat fœmininum, secus in contractibus. Sic privilegium concessum fratribus est commune sororibus, nisi aliunde appareat restrictio. Arg. L. Lucius. §. quæstum. ff. ad legat. 3. ubi: quòd in testamento nomine fratrum veniant quoque sorores. L. tres fratres. ff. de patris. Tiraq. L. 1. de contract. Lign. §. 1. Gl. 9. n. 200. Suar. l. c. Bonac. l. c. num. 4. Nomine verò filiorum regulariter non intelliguntur nepotes. Barb. in L. maritum. ff. soluto mat. num. 80. nisi ex juris dispositione aut alià vià de mente concedentis appareat aliud. Suar. l. c. c. 116. dicens sic nomine filiorum intelligi nepotes, in auct. si quid. c. qui potiores. in pign. Porro hæc notandum, privilegium adhuc extendere se ad virtualiter in eo comprehensos, quales sunt, sine quibus privilegium concessum redditur inuile, v. g. concessum Sacerdoti Sacrificanti tempore interdicti ad ministrum illius, concessum domino ad familiares & servos, qui eum comitari solent, c. licet. h. v. in 6. Castrop. l. c. num. 2. Item privilegium nobilitatis concessum marito ad uxorem, patri ad filium, non quidem vi privilegii, quo maritus & pater nobilitantur, sed ex alia juris dispositione, quâ cavetur, quòd, quoties marito vel patri privilegium nobilitatis conceditur, uxor & filius eo gaudere possit. L. fœmina. ff. de Sacerdotib. & L. 1. c. de dignitatib. quod privilegium, si adveniat marito aut patri ex officio, estque perpetuum etiam renunciantibus officio ad uxorem & filios, etiam mortuis marito & patri transit. Suar. cit. c. 11. à num. 2. vide de his pluribus L. 1. num. 2. vers. ad secundum.

Quæst. 446. An Privilegium extendatur ad casus alios vel personas, in quibus est similis vel efficacior ratio?

Resp. Negativè cum Salas. d. LL. d. 20. S. 11. num. 120. Suar. l. c. c. 18. num. 11. Bonac. de LL. d. 1. q. 3. p. 7. §. 1. num. 15. Castrop. l. c. p. 13. num. 1. juncto n. 4. quia, cum, ut dictum,

Hh 2

effica-

efficacia privilegii tota pendeat ex voluntate concedentis significata per verba, hæc autem non significant, seu exprimant, ne virtualiter quidem, casum aut personam similem, ad eos extendendum non est privilegium, idque non tantum in odiosis juxta *reg. juris in 6. quæ à jure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda*, sed & in favorabilibus, tamen ea à jure sint concessa, & in iis exprimitur ratio concessionis; cum enim expressio rationis solum motivum concedentis declaret, ob quod privilegium concedi possit, non tamen facit concessionem illius de facto se extendere ad plura. Sic itaque, si Titio ob ejus merita in privilegio expressa concedatur pluralitas beneficiorum, vel privilegium non solvendi decimas aut tributum, ex eo non inferitur, ea privilegia concessa quoque alteri, etsi hujus merita sint æqualia, vel etiam majora. Item, si moniali ob eius infirmitatem expressam in privilegio concedatur egressus ex monasterio, non exinde etiam aliis, etsi æquè infirmis, concessus est ille egressus, ut *Felin. in c. postulasti. de rescript. limit. 1. n. 9.* Neque his contrarium evincitur, primò: ex eo, quòd lex favorabilis extendatur ad casum, in quo est eadem ratio; nam præterquam quòd lex non pendeat à ratione, & privilegium non à ratione, sed à voluntate concedentis, lex nunquam extenditur ad casum non comprehensum in lege, etiam si in eo sit similis ratio, quæ est in lege, sed ex uno casu per legem deciso alius similis à Judicibus decidendus venit, non ex necessitate, sed ex quadam æquitate & convenientia, solumque probatur, quòd id sufficiat, ut Princeps idem decernat & simile privilegium concedat. Neque secundò contrarium inferitur ex *c. ex parte. de decimis*, dum ibi decernitur privilegium percipiendi decimas de laboribus terræ parochiam extendere se ad novalia, quia concessio majore, ut ibi ait Pontifex, concessum esse videtur, quod minus est; nam id verum est, si in majore includatur quod minus est, qualiter attentà proprietate verborum ibi novalia, utpote non minus terra Abbatis cui concedebantur decimæ,

ex terra parochiarum suarum includebantur in illo privilegio, ac proinde non erat extensio de uno casu ad alium ob similitudinem, sed casus in privilegio comprehensus, *Castrop. l. c. num. 4.* Neque ex *c. per venerabilem.* ubi Pontifex probat dispensationem concessam illegitimo ad actus spirituales extendi ad actus temporales tanquam quid minus; nam verum hoc est, si penes concedentem legitimationem in temporalibus sit quoque potestas legitimandi in spiritualibus, non quia privilegium de uno casu ad alium extenditur, si casus sint separabiles, dum verò ex decencia & æquitate separari non possunt, sed unius concessio secum trahit alterum, cum tunc in concessione unius aliud virtualiter comprehendatur, uti fit in præsentem casu, dum legitimatio in temporalibus annectitur legitimationi in spiritualibus, ne indecens & monstrosum videatur, ut ait in *cit. c.* Pontifex, si legitimus ad actus spirituales remaneret illegitimus ad actus temporales. Neque quartò: ex eo deducitur, privilegium extendi ad alia ob paritatem rationis, quòd privilegium dispensandi in votis extendatur ad vota jurata & commutationem eorum, quòd privilegium testandi extendat se ad faciendum codicillum, & donationem mortis causâ; nam extensio illa ad vota jurata non fit ob paritatem rationis, sed quia dispensatio ad vota jurata & commutationem eorum est quid accessorium ad dispensationem in votis, similiter privilegium testandi extenditur ad codicillum & donationem mortis causâ tanquam ad accessoria testamento, & nomine testamenti comprehensa, uti de hac dicitur. *L. Marcellus. ff. de donat. causâ mortis.* adeoque in his non fit ad alium casum extra privilegium, sed ad casum in privilegio comprehensum, & ita docent *Mandof. in praxi signatur. grat. v. licentia. vers. aliam. Molin. Tom. 1. de just. tr. 2. d. 141. ad finem. Suar. cit. c. 28. num. 15. Sanch. l. 8. d. 1. num. 28. Salaf. de LL. d. 20. f. 10. num. 96. Bonac. d. 1. q. 3. concl. 7. §. 2. num. 11. quos citat & sequitur Castrop. cit. p. 13. n. 4. vers. ad quartum.*

### C A P U T III.

#### De Cessatione & Amissione Privilegii.

*Quest. 447. An & qualiter ex solo lapsu temporis, aut etiam per unicum actum expiret privilegium?*

1. **R**esp. Primò: Privilegia ad certum tempus in iis expressum restricta, eo lapsu expirant, ita communis. *Arg. c. de causis. de off. delegati. l. quoties. C. de precib. Imp. offer;* cum enim privilegium vim suam habeat à concedentis voluntate, ultra tempus ab ea determinatum extendi seu durare nequit, unde ut *Lauterb. ad ff. tit. de constit. Princip. §. 54. regula* deducitur concessa ad tempus post illud prohibita censetur.

2. Resp. Secundò: Hinc quoque privilegium concessum ad tempus existentis & durantis conditionis alicujus, v. g. si & quamdiu studuerit Theologiæ, cessante hac conditione cessat, cum etsi non exprimitur in eo certum tempus formaliter, virtute tamen continet illud, quatenus annexum, & idem est cum existentia & duratione conditionis. *Suar. L. 8. de ll. c. 29. num. 4. & 5. Laym. L. 1. tr. 4. c. 23. num. 17. Castrop. tr. 3. d. 4. p. 14.*

*num. 7. Pith. h. t. num. 167.* Porro si conditio teneat se ex parte concessionis privilegii; privilegium dependet ab ea in fieri, quia solum ad concedendum privilegium fuit necessaria; si verò teneat se ex parte privilegii, hoc ab ea dependet in conservari, & illud tamdiu durat, quamdiu durat conditio præscripta à concedente, & consequenter quamdiu durat voluntas concedentis illud, *Castrop. l. c. num. 3.* ubi etiam, quòd si conditio sit talis, quæ semel cessans facile redire possit, eâ cessante non statim omnino cesset privilegium, sed potius suspendatur quòd ad ejus usum, donec redeat conditio.

3. Resp. Tertio: Dum privilegium absolute concessum ad aliquid agendum vel omittendum, num cesset peracto seu finito unico actu, in eo non conveniunt A. A. nam primò censet *Castrop. num.*

4. quòd, si verba privilegii clarè se extendant ad unum tantum actum, indubitatè finiatur isto actu peracto. Si verò actus fuit invalidus, non extinguitur per illum, quia talis actus habetur pro non seu necdum factò, juxta regulam vulgarem: quod nullum est, nullum sortiri debet effectum, docet com